

Clarissime Domine, et doctissime. Causa, cur Capua relicta  
 Romam redierim, non ea est, quod episcopatus sit onus, non dignitas,  
 labor, non deliciae: tantos enim hic Romae labores ferre cogimur,  
 totque occupationibus, et tam molestis fatigamur; ut episcopalibus  
 cura mihi deliciae videretur. Sed cum ad comitia pontificia pro  
 officio cardinalatus venissem: Paulus Quintus, qui nunc sedet, me  
 ad ecclesiam meam redire passus non est: et quoniam ego numquam  
 probare potui sententiam illorum, qui putant licere episcopis in  
 ecclesia sua non assidue residere: archiepiscopatum meum, quem  
 absens bene administrare poteram, alteri committendum curavi. Haec  
 est igitur vera causa, cur ad cardinalium munia obeunda reversus,  
 more solito Summo Pontifici praesto sim. Gaudeo te in eodem consi-  
 liarii munere apud Illustriss. et Reverendissimum Dominum archie-  
 piscopum perseverare: id enim argumenti nobis est, fidelem operam  
 tuam Illustrissimo Principi satis probari. Quae scribis de Spino-  
 lae ducis victoriis gratissima fuerunt: ut etiam quae de Domini  
 archiepiscopi principis electoris vigilantia, atque indefesso stu-  
 dio in negotiis imperii dirigendis significare voluisti. Res Vene-  
 tiae nos quoque, imo nos potissimum anxios tenent, quippe qui pro-  
 prius intuemur cum quanto religionis periculo coniunctae sint: sed  
 speramus Deum, de cuius causa agitur, Ecclesiae suae Vicarioque  
 suo non defuturum. Vale, nosque amare perge, à quibus merito tuo  
 vehementer amaris. Romae die 25 novemb. 1606.

---

Epist. famil. XLIX.

24 Nov. 1606 Bellarminus ad Episc. Antwerpianus Le Mire

Archiv. Archiv. Mechelen. Boos : Université de Louvain  
 Kaff : Collège du Parc

NB. Marginalia son P. Lucianus Ceyssens O.F.M.  
 cf. 7 Juli 1606 en 14 Jan. 1608.